



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Conclusiones exponentes meam sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

ut ego possim salvare alium humiliando me illi; ecce tencor à charitate ad actum humilitatis, adeoque obligor tibi, sed non à te immo neque obligor à præcepto humilitatis, sed à præcepto charitatis humiliare me ipsum tibi; similiter fac Regem præcipere Magnati, ut obediat rusticis; ecce Magnas tenetur obedire rustico, sed non obligatur à rustico, sed à Rege: ergo idem dici potest in casu nostro; sive Decretum Papæ ut declarativum, & ut prohibitivum objecti, quia mali, promulgetur hic, sive non, adhuc tencor me conformare illi, non quia ab illo obligor, sed quia illi obligor à præcepto fidei obligante me credere ut illicitum, quod scio declaratum à Papâ ut tale; & à dictamine conscientie dictante, non esse sequendum, quod scio esse infallibiliter illicitum; nec pro regulâ morum assumi posse opinionem certò scandalosam. Hæc innuisti satis sit, ut eo magis constet, quòd etiam si sequaris sententiam negantem leges Pontificias obligare, ubi non sunt promulgatæ, dico, quòd adhuc ubi promulgatæ non sunt, teneris parere; sive deinde pareas illis, quia illis, & ab illis obligaris; sive quia illis, sed à principio naturali parere obligaris; quod parum interest in ordine ad finem Legislatorum; dummodo enim legibus pareatur, hoc est quòd illi volunt, sive deinde ex illo, aut isto fine, cum finis legis non cadat sub legem.

N. 52. Ex hac distinctione duplex habebitur utilitas. Prima, quòd in præcipuo puncto componuntur Authores: dici enim potest, quòd negantes Decreta Pontificia obligare, ubi non sunt promulgata, negant tantum, quòd illa obligent, non autem negant, quòd Fideles illis obligentur; hoc enim negare non possunt, nisi negent principium omnino certum, quòd nulla certa falsitas possit esse regula morum: ergo quoad punctum practicum conveniunt cum affirmantibus, etiam ubi Decreta non sunt promulgata. Secunda utilitas est, quòd quacumque sententiam sequaris, teneris obedire Decreto; nec poteris dicere te non teneri, quia hic non est promulgatum; adhuc enim teneris, non quidem à Decreto, sed à principio conscientie universali dictante, nullum cognitum ut falsum, & ut malum, esse regulam morum; adeo ut promulgatio non sit necessaria, ut pareas Decreto, & fugias, quòd Papa prohibet ut malum; satis enim est notitia certa Decreti Pontificij, ut Decreto obedias, sed ad summum ut à Decreto obligeris; Papæ autem, sicut cuilibet legislatori, parum interest ex quocumque fine obedire tenearis, dummodo obedias.

Tom. I.

Ex hac ipsâ doctrinâ præoccupatum manet aliorum effugium dicentium, acceptationem esse necessariam, ut lex obliget: ergo etiam, ut Decreta obligent. Dico enim hoc esse falsum de Decretis declaratorijs, & ad summum esse verum, si tamen verum est, (nam legem obligare independentem ab acceptatione, communis, & vera sententia est, ait P. Suar. lib. 3. de Leg. cap. 19. & lib. 4. cap. 16. M. Mart. de Prado in Thcol. Mor. cap. 3. de Leg. qu. 6. n. 5.) ut à lege, & à Decreto obligeris. Ratio est: quia veritas, quæ deciditur, ut acutè P. Lessius de Justitia cap. 20. n. 192. non pendet ab acceptatione, aut censurâ subditorum, esto obligatio legis pendeat ab acceptatione; non enim liberum est homini rejicere veritatem cognitam ut certam: sed per Decretum Papæ declaratorium, cujus notitiam suppono, mihi certò constat veritas de inhonestate objecti, cujus licentiam approbat opinio damnata: ergo non est mihi liberum illam rejicere; ergo à principio naturali obligor acceptare talem veritatem, & Decretum: similiter à dictamine conscientie obligor acceptare certam doctrinam morum, & respuere certò falsam: ergo cum doctrina à Pontifice damnata sit certò scandalosa, adeoque sit certò falsum, quòd non sit scandalosa; & opposita sit certò non scandalosa, & certò verum sit, quòd sit honesta, obligor eam acceptare. Plura de acceptatione dabit M. Tapia tom. 1. lib. 4. qu. 3. art. 91. & alij passim. Hæc est mea mens, quam per sequentes conclusiones expono.

P. Suar.
M. Mart.

P. Less.

M. Tap.

§. III.

Conclusiones exponentes meam sententiam.

S U M M A R I U M.

Omnes Fideles, qui habent certitudinem moralem Decretorum Pontificiorum, ut declarativa sunt, obligantur illis stare etiam, ubi non sunt divulgata, n. 54. 55. 56.

Decreta Pontificia, etiam ut legislativa, obligant, ubi non promulgata, à n. 57. ad 60.

Potestas declarativa non supponit jus jurisdictionis, n. 60.

Parendum legibus legitime promulgatis, n. 63. Non est necessaria promulgatio in omni loco, n. 65. ad 68.

Pleraque ex damnatis ab Innoc. continent materiam juris naturalis; alique juris humani, ib. Damnata circa jus humanum sunt verita, quia scandalosa, n. 67.

Decreta Tridentini circa fidem, & mores obligant etiam ubi non promulgata, ibid.

Cur leges civiles obligent tantum, ubi promulgantur; non autem Decreta Papæ? n. 70.

E ij

Pono

P Ono eas sub unum intuitum, seorsim tamen probandas.

N. Prima est: Decreta Pontificia, ut præcise declarativa sunt, neque obligant ubi sunt, neque ubi non sunt promulgata.

N. Secunda: Fideles tamen, qui eorum Decretorum, ut declarativorum notitiam certo moralem habent, obligantur stare illis ut declarativis, tam ubi sunt, quam ubi non sunt promulgata.

N. Tertia: Decreta Pontificia, quatenus legislativa, obligant, ubi sunt promulgata, siue sint circa materiam ex se indifferentem, siue ex se malam, & ideo à Decretis vitata.

N. Quarta: Probabilis est quod Decreta Pontificia quatenus legislativa circa rem ex se malam, seu prohibentia objectum ex se declaratum malum, obligare etiam ubi non sunt promulgata.

N. Quinta: Et si hoc verum non esset, adhuc tamen Fideles obligarentur stare tali Decreto Pontificio prohibitivo objecti ex se mali, & repudiare id, quod tale Decretum prohibet.

N. Sexta: Probabilis etiam est, quod Decreta Pontificia pure legislativa, seu prohibitiva rei ex se indifferentis, & malæ, quia vitatæ, obligent etiam, ubi non sunt promulgata.

N. Hæc est summa totius doctrinæ. Prima, & secunda conclusio loquuntur de Decretis præcise ut declarativis; & utraque est evidens, ut ostendam. Reliquæ loquuntur de Decretis legislativis, cum hoc discrimine, quod tertia, quæ etiam est evidens, loquitur universaliter de omnibus, & circa quamcumque materiam. Quarta, & quinta loquitur de Decretis legislativis supponentibus declarationem damnativam, adeoque circa materiam ex se malam. Ultima demum loquitur de Decretis pure legislativis circa materiam indifferentem, qualia sunt quæ prohibent, ex. gr. esum carnum tali die, vel præcipiunt Missam tali die; hæc enim Decreta sunt pure legislativa, & nullo modo declarativa.

N. Jam prima conclusio, quamvis videatur primâ fronte contra omnes, nisi tamen crassissimè hallucinor, omnium esse debet, & ita probatur. Decreta Pontificia præcise ut declarativa, non sunt legislativa, sed sunt pura infallibilis vox manifestans aliquam veritatem; sed si non sunt legislativa, immò si sunt pura manifestatio alicujus veritatis, nullam possunt inducere obligationem ratione personæ, à quâ procedunt: ergo Decreta Pontificia præcise ut declarativa nullam possunt inducere obligationem, sed præ-

sciunt, seu nec affirmant, nec negant obligationem, si enim præsciunt ab obligatione, nec obligant, nec non obligant: ergo nec obligant ubi sunt, nec ubi non sunt promulgata. Minor probatur primò: quia potestas declarativa alicujus veritatis non supponit jus jurisdictionis, à quo solum provenit legis obligatio, & ejus actus, nempe prohibere, præcipere, &c. Secundò: Si pura manifestatio veritatis induceret obligationem, sequeretur, quod omnis docens alterum aliquam veritatem obligaret illum, atque adeo in circulis, ubi plurimæ feruntur veritates, orirentur in audientibus obligationes, & quotquot privatos inter parietes Doctorum scripta revolvunt, quæ manifestant ignotas veritates, iidem obligarentur, vel à Doctoribus defunctis, vel ab eorum scriptis declarantibus eas veritates, quod nemo dicit: ergo etiam Decreta Pontificia præcise ut declarativa nullo modo obligare possunt: sed quod non potest obligare, neque obligat ubi est, neque ubi non est, ut est evidens: ergo Decreta Pontificia præcise ut declarativa, nec obligant ubi sunt, neque ubi non sunt promulgata.

Secunda conclusio probatur, notato diff. N. crimine inter has duas propositiones: *Fideles obligantur à Decretis ut declarativis; Fideles obligantur Decretis declarativis, sed non ab illis*; sed aliunde, ut mox explicio. Prima est falsa; nam in primâ conclusione probavi, Fideles non obligari à Decretis ut declarativis: secunda est vera, & eam ita probavi. Fidelibus ubique terrarum degentibus, habentibus notitiam certo moralem de Decretis Pontificijs ut declarativis, inest obligatio standi illis; primò ex præcepto fidei, quilibet enim tenetur credere, quod Papa declarat malum, aut bonum, esto Papa præcise declararet, & nullam ferret de eo legem. Secundò ex lege naturali dictante, repudiandum, quod scio certo illicitum, & scandalosum, & amplectendum, casu quo tenear, aut velim operari, quod scio licitum: sed quod Pontifex declarat licitum, aut illicitum, scio certo esse tale: ergo tum ex præcepto fidei, tum ex lege naturali teneor credere tale esse, quod Papa declarat tale; & teneor repudiare objectum, & opinionem damnatam, seu declaratam ut scandalosam, ita ut ad credendum me obliget fides, ad repudiandum lex naturalis; si mihi constet per Decretum Papæ, opinionem, & objectum declarata esse mala: sed hoc est stare, & obedire Decretis declarativis: ergo Fideles habentes notitiam certam Decreti Pontificij ut declarativi, obligantur tum à præcepto

cepto fidei, tum à dictamine naturali stare Decretis, ut declarativis, & repudiare opinionem declaratam ut scandalosam. Contrario: Possum sine promulgatione hic, habere hic notitiam certo morale de Decreto Pontificio declarante talem opinionem ut scandalosam: ergo cum ex principio naturali reflexo obligetur quilibet non sequi certo scandalosum, sequitur, quemlibet Fidelem hoc scientem obligari, non sequi eam opinionem declaratam ut scandalosam, esto per impossibile non prohiberetur à Papa: ergo Decretis ut declarativis Fideles ubique obligantur.

N. 63. Tertia conclusio est omnino evidens, & omnium, & facile probatur. Superioris legibus, aut præceptis legitime promulgatis standum est, de quacumque materia ea sunt, dummodo sint in bonum commune: ergo Decretis Pontificijs ut legislativis hic promulgatis, hic standum est.

N. 64. Quarta conclusio probatur; & quidem vellem eam esse evidentem, mihi tamen evidens non est, & §. sequenti solvam argumentum, quo P. Cardenas probat esse nunc prorsus improbabilem sententiam docentem, Decreta Pontificia, ut legislativa, non obligare, nisi ubi sunt promulgata. Probatur autem primo iisdem rationibus, quibus probabitur sexta; sunt autem illæ, quas adduxi §. 1. pro sententia docente Decreta obligare etiam, ubi non sunt promulgata; nam à fortiori militat pro hac conclusione; si enim Decreta Pontificia pure ut legislativa, & circa objectum ex se non malum obligant, ubi non sunt promulgata, multo magis obligabunt Decreta legislativa supponentia declarationem, & prohibentia objectum, quia malum in se.

N. 65. Secundò probatur: quia ut Decreta Pontificia, quatenus legislativa, obligent, satis est, ut habeam notitiam moraliter certam illorum; nam promulgatio in omni loco gratis omnino ponitur necessaria, cum neque essentia legis, neque Jus Pontificium hoc exigant, ut exigit Jus Civile, ad hoc ut ejus leges obligent. Addit P. Cardenas *tom. 4. disp. 1. n. 208.* quod, quoties Decretum respicit materiam juris naturalis, aut Divini positivi, toties, si certa ejus notitia habeatur, ubique obligat, etiam, ubi non est promulgatum; & ideo post primam Legis Evangelicæ promulgationem ab Apostolis factam, satis est certa ejus notitia, nec necessaria est nova promulgatio: sed ferè omnia in Decreto Innocentij contenta sunt juris naturalis, aut Divini positivi, ut patet ex Catalogo damnatarum, nam solum quinque

Tom. I.

damnantur circa jus humanum; de quo legendus etiam est P. de la Fuente *disp. 1. n. 55. & 56.* immò eo ipso quod omnes damnatae sint intrinsecè scandalosæ, eo ipso opponuntur per se legi naturali charitatis veritatis, ne quis proximo occasionem ruine præbeat: ergo ad hoc Decretum, ut prohibitivum, non est necessaria nova promulgatio, saltem quoad ea, quæ respiciunt jus naturale, aut Divinum positivum; immò ait, neque requiri circa propositiones, quæ sunt juris humani, quia, inquit, cum promulgatio eo sine requiratur, ut Fideles obligentur, hic autem obligatio oriatur ex notitia Fidelibus moraliter certâ, consequenter inutilis est nova promulgatio. Verum hæc ratio me non convincit; primò, quia maior ita distingui potest: Decretum respiciens materiam juris naturalis, vel Divini positivi ubique obligat, id est, Fideles ubique obligantur ad illud ex vi ejusdem Decreti, nego maiorem; ex alijs principijs, nempe ex lege Dei, vel lege naturali, declarante Decreto eam materiam, concedo maiorem: secundo, quia non satisfacit replicæ; quod saltem quoad propositiones respicientes materiam juris humani requireretur promulgatio hic, ut hic obliget: quare ratio hujus conclusionis unica, & solida est, quod gratis, & sine ullo fundamento, & contra experientiam asseritur requiri aliam promulgationem, præterquam Romæ factam, ut Decreta Pontificia ubique obligent, dummodo certò constet ea fuisse Romæ promulgata.

Quinta conclusio probatur iisdem argumentis, quibus secunda; quia lex naturalis dictat non esse assumendam pro morum regulâ opinionem ex se scandalosam, & repudiandum objectum prohibitum, quia malum: sed etiam, ubi talia Decreta Pontificia ut prohibitiva non sunt promulgata, potest Fidelibus constare promulgatio Decreti Pontificij prohibitivi opinionis, quia ex se scandalosæ, & objecti, quia ex se mali: ergo ubi illud promulgatum non est, adhuc Fideles obligantur vitare dictam opinionem, & objectum: sed vitare talem opinionem, & objectum, & parère Decreto prohibenti illud, est practice, & in ordine ad finem à Papâ intentum omnino idem, nam Papa præcisè intendit, ut talis opinio, & ejus objectum vitetur, non autem intendit, ut ex motivo formali obediendi illi Decreto vitetur, cum finis legislatorum non cadat sub legem: ergo.

Dices, hanc rationem non probare Fideles teneri stare Decreto ut prohibitivo attingente materiam juris humani, ubi non est

E iij

promul-

promulgatum. Resp. primò negando antecedens; quia omnes propositiones etiam veritates circa materiam juris humani sunt vetitæ, quia scandalosæ: ergo datur lex naturalis obligans eas non sequi, etiam ubi Decretum non est promulgatum. Secundò, licet hoc nostra ratio non convinceret, quod tamen est falsum, attamen hoc convincit ratio sextæ conclusionis.

N. 68. Sexta conclusio probatur: quia ex una parte non est de essentia legis, nisi promulgatio, non autem promulgatio ubique, ut ubique obliget: sed data promulgatione Romæ, datur promulgatio: ergo datur quidquid requiritur, ut obliget non existentes Romæ, sed alibi: ex alia parte conitatur, Decreta Tridentini non tantum quatenus declaratoria, sed etiam quatenus legislativa, tam circa materiam fidei, quam morum, non fuisse ubique promulgata, & tamen certum est ubique obligare etiam in Regnis, ubi non fuit receptum: (idem dicito de alijs legibus Ecclesiæ circa res ex se indifferentes, ut notat P. Palao:) ergo Decreta Pontificia ut legislativa ubique obligant, etiam ubi non sunt promulgata, etiam circa materiam indifferentem.

P. Pala. Confirmo primò ex P. Moya n. 21. & ex eo Torrec. Omnes censuræ ab eadem potestate descendunt: ergo sicut, si Papa declarasset eas propositiones hæreticas, teneretur quilibet hoc sciens credere, esto in loco, quo vivit, non fuisset facta promulgatio; ita etiam, dum declarat scandalosæ, esto in loco, quo vivit, promulgatio facta non sit. Alias rationes vide apud P. Suar. n. 7. & P. Salas l. c.

N. 69. Confirmo secundò ex P. de la Fuente. *disf. 1. n. 133.* postquam enim sibi objecit, quòd, ut Papa obligaret interius ad assentiendum censuræ, vel saltem ei non dissentiendum, suoque iudicio; in his tamen Decretis Pontifices non præcipere, ut eorum iudicio, & censuræ acquiescamus, sed tantum, ne doceamus, aut prædicemus damnatas, atque adeo liberum nobis videri discrepare à iudicio Pontificum, putando non esse scandalosæ, esto nobis liberum non sit eas docere: postquam, inquam, hæc sibi objecit: Respondet, quòd ad inducendam præcisam obligationem acquiescendi iudicio Pontificis, non est necessarium ullum præceptum positivum ipsius, immò nec est sufficiens; quia positiva præcepta Pontificis virtute sua ad actus merè internos non possunt obligare, quales sunt assentiri, aut dissentiri: quare obligatio, quæ hic datur, supposita censuræ Papæ, non est juris humani, sed

Divini obligantis, ut intellectus assensum suum captivet in obsequium Supremæ Autoritatis, quæ obligatio resultat statim ac Pontifex aliquam doctrinam damnat. Plura apud eundem.

Dices: Leges Civiles non obligant, nisi N. ubi promulgata: ergo neque Decreta Pontificia. Nego consequentiam: quia illud determinavit Jus Civile, quod quia totum est in politicâ exteriori, iudicavit hoc convenientius: oppositum determinat Ecclesiæ, & probat experientia; nam Ecclesiæ regimen, cum sit pro foro interiori, hoc potius, quam ceremonias externas attendit. Adde promulgationem ubique esse tantum conditionem à Jure Civili exigitam, non autem de essentia illius.

§. IV.

An maneat antiquata sententia docens leges Pontificias non obligare, nisi ubi sunt promulgata?

SUMMARIUM.

Quid opinio antiquata? n. 71.

DD. affirmantes, ibid.

Non placet ratio P. Cardenas, n. 72.

Decretum Urbani circa stipendium Missæ, ibid.

Non est antiquata, n. 73. 74.

Papa declarat, & legem fert in his Decretis, ideo illis standum, tum ex lege naturali, tum ex Fidei præcepto, n. 75.

Pater Carden. (quem sequitur Filg. in N. Censurâ pag. 26.) tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 71. citat viginti duos AA. (quibus addo P. Card. Gibal. & Mastrum,) & tom. 4. *disf. 1. a. n. 199.* utroque loco movet hoc dubium, & resolvit, quòd hæc opinio modò est antiquata, seu improbabilis, cum antea fuerit probabilis. Hoc autem ita probat: Ea propositio dicitur antiquata, quæ cum antea videretur probabilis, modò tamen habet contra se principium certum: sed hæc opinio, *Leges Pontificias non obligant, nisi ubi promulgata*, quæ antea erat probabilis, modò habet contra se principium certum, nempe Decretum Alexandri VII. *Alex. VII.* damnantis hanc propositionem, *Potesť Sacerdos licet, tum duplex stipendium pro una Missâ accipere, tum per alium Sacerdotem satisfacere, collatâ illi parte stipendij, aliâ parte sibi retentâ; & hoc utrumque etiam post Decretum Urbani VIII. qui utramque propositionem damnaverat: ergo ea opinio est antiquata.* Minor probatur: quia DD. tuentes etiâ post Decretum Urbani duas damnatas citatas, eo principio ducebantur, quia leges Pontificiæ non obligant, ubi non sunt promulgata, cum